

Forfatter: Helgesen, Poul

Titel: Udrag fra Chronicon Skibyense

Citation: Helgesen, Poul: "Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab", i Helgesen, Poul: *Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab*, 1932-1948, s. 107. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-helg06val2-shoot-idm140415584912608.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: Skrifter af Paulus Helie 6. Bind / ved Marius Kristensen og Hans Ræder. - 1937 Udgivet af Det Danske Sprog- og Litteraturselskab

Eodem anno mense Maio, xxviii die mensis, cum per uniuersam Cimbriam serperet uirus | Lutheranice factionis, submersus est quidam Ioannes Esberni sacerdos, sacerdotisque filius, iuxta Olburgam, eiusdem factionis pertinacissimus sectator. Erat autem filius domini Esberni olim canonici Vibergensis. Iste Ioannes post multas in deum ac diuos omnes sanctaque ecclesie sacramenta blasphemias, cum dixisset execrabilis sua lingua, se malie perungi stercore bouino, quam Chrismate aut oleo uerbo dei et solenni benedictione sacrato, baptisassetque in fonte baptismatis diue uirginis statuam, iamque probe potus, tactus est fatali quodam desiderio, maris sinum, qui eandem urbem alluit, transmittendi. Cumque soluisset a littore, precepit in mari delapsus 108 submersus est, pueru tamen periculum euadente, quem dictus Ioannes scapham secum coegerat ascendere. Occulta quadam dispensatioue diuina factum est eisdem temporibus, in ultionem scortacionum sacerdotalium, ut nulli magis fauerent impie secte quam sacerdotum spurii, inter quos erant plerique michi noti, sed multo plures pluribus. Primus michi notus erat iste Ioannes, filius domini Esberni canonici Vibergensis. 2us quidam magister Ieorgius cuiusdam Vicarii Vibergensis filius, cuius sororem, Dorotheam nomine, magister Ioannes Taussøn, omnium priapistarum in Dacia primus, duxit uxorem. 3us sceleratissimus quidam dominus Laurentius Hwijd, Sigisberte secretarius, filius domini Petri Hwijd etiam Canonici Vibergensis. 4us quidam D. Ioannes, olim Cancellarius episcopi Vibergensis. | Nouissimus carmelita quidam lector, nomine Mauritius, filius cuiusdam prepositi in Sampsøø. Hic erat callide impudens et impudenter callidus. Taceo alios quosdam michi propius notos, de quibus forte olim, si uita fuerit comes, sum scripturus, nempe completa ipsorum malicia.